DE POENITENTIÆ SACRAMENTO

PUBLICA DISPUTATIO

Quam

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D. D.

PAULO FRANCISCO JUSTINIANO

EPISCOPO TARVISINO

DUCI MARCHIONI ET COMITI

SS. D. N. P.

Prælato Domestico ac Pontificio Solio Episcopo Assistenti &c. &c.

EXHIBET COMMENDAT DEVOVET

JACOBUS PEROZZI

DE CUBULO

SEMINARII TARVISINI ALUMNUS

Præceptore et Adjutore

ANTONIO DE ANGELIS

MDCCLXXXIV.

Digitized by Google

Convertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Ezech. 18. 30.

Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes peribitis. Lucę 13.

Digitized by Google

)(III)(

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME PRÆSUL

QUoties, Præsul Amplissime, florentissimam illam Messanæ urbem, & pulcherrimam Calabriæ Provinciam, quas tam misere concussas, dirutas, penitusque profligatas intelligimus, mecum ipse animo reputo, eaque tonitrua, quibus novissimis temporibus Cœlum tremere audivimus, & inter nubes ardentem vidimus flammam, & sævos undique turbines erumpentes, & ventos, qui ædes, & arbores concusserunt, atque afflictarunt, eosque fulmineos ictus, qui homines bene multos, belluasque miserrime perculerunt; quoties famem, pestem, & bella, quæ nos miseros identidem

Digitized by Google

410

minis perturbant, premunt, & terrent, diligenter, accurateque confidero, illud de ejusmodi infortuniis veriſſime affirmari poſſe exiſtimo; Deum nempe, cujus majeſtatem penitus formidandam deſpicere non perborreſcimus, ob noſtros in eum impudentiſſimos auſus maximas illas moles moleſtiarum, & turbulentiſſimas tempeſtates excitaviſſe, ut nos tandem hiſce calamitatibus quibuſdam veluti ſtimulis perculſos ad veram pœnitentiam adduceret. Hinc satis admirari non poſſum ad illum dementiæ ſtatum e mortalibus quoſdam devenire potuiſſe, ut divinæ indignationis ferme obliti, cauſam ejuſmodi eventuum, atque rationem inveſtigantes, eam ex ſolis rerum creatarum fluxibus quodam veluti fato excogitare minime dubitent, perinde quaſi futilibus eorum fabulis Deum ipſum, qui, ut firmiſſime ſacri codices teſtantur, reſpicit terram, & facit eam tremere; tangit montes, & fumigant; mortificat, & vivificat; mittit bellum, & creat pacem; & armat creaturam ad ultionem inimicorum; *mentiri poſſe arbitrentur. Quocirca tantum abeſt, ut hiſce commentis tumidi improbos eorum mores immutare decernant, ſeque ipſos ad veri Numinis cultum reducere, atque adeo profuſis lacrymis, gemitibuſque emiſſis iram ejus compeſcere, quin potius vitia vitiis, peccata peccatis, ſcelera ſceleribus accumulantes, & alios a pænitentia jam incœpta irriſionibus, atque ludibriis retrahentes Deum magis, atque magis movent, provocant, impel-*

lunt,

Digitized by Google

lunt, ut majori vi, majori etiam furore instructa veluti acie districtis gladiis in nos ipsos inflammatus irrumpat. Quid tum miseri? Enimvero nisi pœnitentiæ, quam Deus exigit a nobis, & illico lubenter toto corde, totisque viribus insistamus, & in posterum ad Deum conversi rectam semitam prosequi studeamus, quem securitatis locum adinvenire poterimus? Clamantibus undique Scripturis: Ignis succensus est in furore meo, & super vos ardebit. (1) *De pœnitentia itaque disputaturus recreatur animus, quod dum ipsa impios cum Deo supremo rerum omnium Conditore, ac Gubernatore conjungit, a terra paulatim abripit, & ad cœlestium rerum contemplationem quoddammodo perducit, efficitque, ut omnis Dei ira deflagret, turbines sileant, tempestates quiescant, miseriæ omnes dissolvantur, & abeant, eorumque pænitentium animi debilitati, ac jacentes excitentur, reficiantur, confirmentur. Aptissime igitur maximis temporibus hujusmodi occurrit disceptatio. Dolet mihi id unum, quod cum paucos admodum menses Pœnitentiæ Sacramento operam enixe dederim, tam subito & ex inopinato in hanc arenam tanto litteratorum Virorum conventu stipatus sim jussus prodire; eo vel maxime quod validissimus Adversariorum impetus urgeat, & anceps reddat disputationis periculum, quod subire debet Pœnitentia. Sed alea jacta est: nec prius hodiernæ disceptationis exitus patebit, quam meas, in quas jam video tela pa-*

(1) *Jer.* 15. 14.

rari,

Digitized by Google

rari, vires experiar. Arduum ſane, aleæque plenum opus nunc pertractandum aggredior, Ornatiſſime Antiſtes; verum, fretus ego humanitate illa tua, ſingularique clementia, qua ſoles omnes complecti, atque reficere, animum ſumo, vireſque ad ejuſmodi certamina ſentio augeſcere; quod niſi contigerit me poſſe de certaminis felicitate gloriari, de auſpiciis certe tuis, quibus me tueris, illuſtras, & ornas, perpetuam delectationem percipiam.

DE

Digitized by Google

)(VII)(

DE POENITENTIA UT VIRTUTE,

I

Pęnitentiam, quam nobis frequentiſſime commendant utriuſque Scripturæ paginæ, in ſolo propoſito deinceps vitandi peccata, atque adeo in nova vita dumtaxat conſiſtere, nonnulli arbitrati ſunt. At immerito, ut oſtendere parati ſumus.

II

Nolumus autem hinc aliquem deducere nos propoſitum novæ vitæ ablegare; quin immo ad veram pœnitentiam neceſſarium eſſe, inviĉtiſſimis ſuſtinemus argumentis.

III

Hanc pœnitentiam, quam ab Hæreticorum fraudibus, aſtutiis, ſophiſmatibus, cavillationibus, & argutiis expedivimus, eſſe vere, & proprie diĉtam Virtutem, cum divo Thoma, aliiſque Theologis conſtantiſſime aſſerimus, defendimus, propugnamus.

DE POENITENTIA UT SACRAMENTO.

IV

His poſitis, ad Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa gradum facimus,

cimus,

cimus; quam poteſtatem tametſi ex Dogmatica tamquam certam, exploratamque ſupponere poſſemus, eam nihilominus, ut recta methodo procedamus, validiſſimis rationibus, atque momentis tum ex Scripturis, tum ex Patribus depromptis evincemus.

V

Abſit autem ut quis putet, hanc Eccleſiæ poteſtatem, quam Dominus Jeſus Chriſtus contulit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus eſſe limitandam; quandoquidem nullum ſcelus, quantumvis grave, enorme, nefandum, ac deteſtabile reperiri poſſe defendimus, quod per pœnitentiam expiari, & ab Eccleſia remitti nequeat.

VI

Signum porro ſenſibile, quo per juridicam Sacerdotis abſolutionem fidelibus poſt baptiſmum relapſis peccata remittuntur, pœnitentiæ Sacramentum appellamus. Hoc verum, propriumque Sacramentum eſſe cum Catholica Eccleſia & credimus, & ſuſtinemus.

VII

Quoniam vero non deſunt inter hæreticos, qui potiſſimum opinati ſunt, pœnitentiæ Sacramentum cum Baptiſmo confundendum, hinc ſpeciatim oſtendemus, alterum ab altero quam longiſſime diſſidere.

Digitized by Google

VIII

Sacramentum hoc, quod secundam post naufragium tabulam appellat Hieronymus, a Christo institutum *præcipue* fuisse, cum ipse e mortuis excitatus verba illa pronunciavit. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; pergravia nobis ostendunt argumenta.

IX

Si quis vero a nobis flagitet, quid tandem de hujus necessitate Sacramenti sentiamus, tantam esse asserimus, ut sustinere non dubitemus, neminem mortifero aliquo peccato post lavacrum baptismale obstrictum, si decedat sine pœnitentiæ Sacramento aut in re, aut in voto, vitam æternam esse consecuturum.

X

Sacramentum istud pœnitentiæ conferri per contritionem, confessionem, satisfactionem, & judiciariam Sacerdotis absolutionem, nemo potest in dubium revocare.

DE CONTRITIONE.

XI

De Contritione quæstionem aggredientes veram esse oportere contendimus. Unde si quis affirmare

Digitized by Google

firmare audeat, contritionem mere existimatam, seu reputatam sufficere; hoc aperta negamus fronte, ejusque opinionem refellimus, & confutamus.

XII

Et quamvis contritionem sensibilem, eam nimirum, quæ in lacrymas, gemitusque prorumpit, summopere commendemus, nihilo tamen secius, veram esse negamus, nisi ex intimo corde emanet, profluat, animumque excruciet.

XIII

Neque solum contritionem veram, & non apparentem exigimus, verum etiam supernaturalem postulamus. Quocirca dolorem illum, qui ob dedecus, infamiam, aut pœnas humanis legibus statutas, aut mortem, morborumque vehementiam, aut alia id genus concipitur, satis esse ad pœnitentiæ Sacramentum nequaquam concedimus.

XIV

Nullum pariter, atque irritum Sacramentum hoc pronunciamus, quoties pœnitens dum ad Tribunal pœnitentiæ accedit, non sit ita affectus, ac de omnibus ita doleat, ut velit potius mala quævis subire, quam alia peccata saltem mortalia perpetrare. Jam plane intelligitis, nos contritionem *appretiative* summam, simulque *universalem* requirere.

XV

XV

Utrum in Pœnitentiæ Sacramento requiratur contritio, sive attritio, ut vocant (nihil enim de nomine moramur) quæ videlicet actualem dilectionem Dei super omnia saltem initialem conjunctam habeat, ut contendunt Augustiniani, aliique viri scientia, doctrina, & eruditione clarissimi; an sufficiat attritio servilis, quæ in solo gehennæ timore sita est, nec ulterius ad amorem procedit, ut alii malunt, non determinamus. Verum enim vero hac in re si licet mentem nostram totam, quanta est, aperire, tametsi Alexander VII. *sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Romanæ Sedi reservata præceperit, ut si deinceps fideles de materia attritionis scribent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel scholares, cæterosque erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve iniuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior esse videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec a Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*; illam tamen sententiam certiorem in praxi, ac securiorem esse fidentissime contendimus, quæ initialem aliquem amorem suadet, atque defendit.

Digitized by Google

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

XVI

Confessionem Sacramentalem, quæ Sacerdoti fieri debet, fuisse divino jure præscriptam, hæretici quidam impudentissime negarunt. Nos vero divinis litteris, sanctisque Patribus inhærentes adversum illos propugnamus, extare re ipsa divinum Confessionis præceptum; eorumque simul opinionem explodimus, illudimus, deridemus.

XVII

Confessionem hanc, de qua loquimur, esse medium ad salutem necessarium aut in re si facultas adsit, aut in voto si facultas desit, necessarium, inquam, necessitate illa, quam *medii* vocant Theologi, iis nimirum, qui post baptisma lethali culpa coinquinati sunt, nemo catholicorum est, qui possit ambigere.

XVIII

Neque satis cuiquam videri debet, quædam solummodo peccata in Confessione aperire, ut effutiunt nonnulli, qui nihil aliud ad justificationem præter fidem requirunt, sed omnia prorsus lethalia, quæ in mentem veniunt, esse enumeranda affirmamus.

XIX

Cuilibet vero nobiscum disputanti, ac contendenti de peccatis dubiis reponimus, illa quoque

dummodo

Digitized by Google

dummodo prudenter, & rationabiliter talia appareant, esse in Confessione necessario manifestanda.

XX

Quemadmodum autem ad integritatem Confessionis requiritur manifestatio omnium mortalium, ita circumstantias etiam mutantes speciem, & ex nova specie novam peccato moralem, ac mortalem malitiam adiicientes, dicimus esse omnino explicandas, ut integra Confessio habeatur.

XXI

Sed jam quæstio valde difficilis urget, an teneamur circumstantias intra eamdem speciem plurimum aggravantes explicare. Suadent nonnulli, & quidem magni nominis Theologi, hujusmodi circumstantias explicari non oportere. At nos cum bona eorum gratia contra sentimus, propugnantes nimirum cum viris etiam gravissimis, omnes circumstantias, quæ in eadem specie mortaliter aggravant, esse in Confessione exponendas. Plura siquidem rationum momenta, ut hanc sententiam amplectamur, in causa sunt.

XXII

Illos tamen jure merito ab integritate Confessionis mathematica excusamus, qui, debito præmisso examine, mortiferi alicujus peccati ob memoriæ imbecillitatem obliviscantur, quive ex morbo, vel alia causa linguæ usum amiserint, vel ex

imminenti

Digitized by Google

imminenti mortis periculo v. g. incendio, naufragio, apoplexia, hostili incursione &c. integre confiteri non possint. Ad impossibile enim nemo tenetur.

DE SATISFACTIONE.

XXIII

De Satisfactione disputaturi illud primum, quod multis argumentis convellere nituntur hæretici, firmissimum statuimus fundamentum, plerumque scilicet remisso peccato, pœnas temporales, quæ peccato debentur, remanere luendas.

XXIV

Hinc pœnas peccatis debitas, quas satisfactionem appellamus, merito exigimus a pœnitentibus; neque solum ad aliorum exemplum, aut Ecclesiæ ædificationem exigimus, quemadmodum veteres exegisse garriunt Novatores, verum etiam ut & castigationem peccatorum, vindictamque sumamus, & Deo compensemus ob offensas, quas contra ipsum commisimus.

XXV

Hisce præmissis, quisnam erit tam excors, tamque amens, qui existimet, imo vero etiam doceat, Confessarios neque posse, neque debere iis, quorum confessionem acceperint, pœnas satisfacto-

rias

Digitized by Google

rias injungere? Enimvero si quis est, in luce meridiana cæcutiat, necesse est.

DE JURIDICA SACERDOTIS ABSOLUTIONE.

XXVI

Certum præterea, ac indubitatum nob is est, absolutionem Sacramentalem præter Episcop os, ac Presbiteros impendere posse neminem. Quap ropter eorum revincemus errorem, qui putant, potestatem ligandi, atque solvendi omnibus, & singulis fidelibus fuisse collatam.

XXVII

Scimus equidem plures exstitisse, qui olim animam exhalaturi, cum Sacerdotis copiam non haberent, confessionem laicis fecerunt; ad quod sane hortati sunt Viri gravissimi; sed illud quoque scimus hujusmodi Confessionem neque Sacramentalem, neque necessariam fuisse ad salutem.

XXVIII

Caveas tandem, ne sola ordinis potestate donatus quempiam absolvas, (excepto mortis periculo) nisi prius potestatem jurisdictionis, & approbationem per Ordinarios factam, fueris consecutus. Nam præterquamquod nulla penitus, atque irrita foret absolutio illa tua, a culpa etiam & & quidem gravi non esses immunis.

F I N I S.

Digitized by Google

De his disputabitur in Seminario Episcopali IV. Idus Augusti, facta cuilibet post Tertium contra dicendi facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

De his disputabitur in Seminario Episcopali IV. Idus Augusti, facta cuilibet post Tertium contra dicendi facultate.

Digitized by Google